

vel occulta annuntiare audent; nescio tamen an stupidiores iis a quibus interrogantur, certe utrique pari injuria, et quidem intoleranda, afficiunt Deum. His adnumero eos, qui in Deo parum fiduciae ponentes, sperant æque vel magis in divitiis suis. Scimus Ananiam et Sapphiram morte subitanea plexos esse, quod, cum pretium agri sui devovissent Ecclesiae, partem sibi reservassent, ut humana prudentia sibi in tempore necessitatis, v. g. fugæ, persecutionis, senectutis consulere, Deo diffidentes, Act. V. Diviserunt isti cor suum, et partem ejus in Deo, partem in suo peculio, posuerunt: sicque utrumque (ut timendum, et sentit S. August. serm. XXVII. de verb. apostoli, et S. Basilius, serm. I. de instit. monach.) perdiderunt. Non ergo in fluxis et fluentibus divitiis, sed in Deo immutabili cor ponendum est, ubi nec ærugo id consumit, nec tineæ devorat, nec fures effodiunt. Videat jam quisque ne vel ipse dividat, vel dividi patiatur cor suum, ut vel minimam ejus partem demoni permittat; e contra laboret omnibus viribus ut ex toto corde diligit Deum, diabolica vitet contagia, et solum Deum pura mente sectetur.

CONCIO II.

DILIGENDUS DEUS OB BENEFICIA IN NOS COLLATA.

I. Ob bona, quibus nos cumulatur, communia. — II. Ob mala, a quibus liberavit vel præservavit.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.
Matth. XXII.

Sæpius admonemur ut diligamus Dominum Deum ex toto corde nostro. Sed videor mihi audire aliquos ad hoc submurmurantes: quomodo tamen ardentem diligamus Deum, quem oculis non cernimus? Quæ enim sensibus non apprehendimus, languide appetimus; quia absentibus objectis tenuiter movemur. Verum quidem est hoc: non videmus Deum, nec alio sensu percipimus; ejus tamen beneficia plus satis experimur, et quotidie percipimus, imo singulis momentis. At hoc sat superque movere debet nos ad diligendum Deum, et quidem ex toto corde. Quid enim, quæso, fuit, quod Rebeccam permoveret ad amorem Isaaci tam potentem, ut petita in sponsam, assensum mox præberet, quem tamen nunquam viderat? Quid amorem ejus adeo exauevit, ut, sprete paterna domo, ne decem quidem diebus detineri in ea

vellet, sed continuo ad sponsum adduci desideraret? Id enim testatur Sacra Scriptura, Gen. XXIV. Utique nil aliud, nisi pretiosa donaria, inaures, et armillæ aureæ, vestes ornatissimæ, vasa aurea et argentea, quæ miserat ei sponsus, necdum ab ea visus. Possunt igitur eximia dona et beneficia hominem pertrahere in amorem donatoris, tametsi non conspecti: et quidem in ardentem, quo, sprete omnibus aliis, cupiat esse et manere cum benefactore suo. Et si hoc potuere in Rebecca pauca et exigua dona, quomodo non trahant nos in amorem Dei magnifica ipsius et continua beneficia, quibus fruimur quotidie? Hoc ergo ut efficiant, ea nunc obiter conspiciemus.

Duo omnino sunt beneficiorum genera: bonis eumulare, et a malis eripere, vel præservare; utraque variis modis a Deo sibi collata unusquisque deprehendet.

I. Primam sedem obtinent beneficia generalia, toti humano generi concessa, quando propter id hunc mundum et omnia, quæ in eo sunt, ad ipsius obsequium creavit. Quam amarem regem, qui nobis regium palatium donasset, omnibus rebus, quæ ad principem spectant, instructissimum? Hoc palatium mundus est, nobis a Deo structum. Hujus primo laqueare, cælum stellatum et quasi fornicatum, quam pulchrum et gratiosum est! Quam amplum et firmum est! Varia siderum dispositio et mutatio plures eorum cælos indicat. Quis vero est homo, ut propter eum tot et tantæ machinæ, atque ut putatur, ab angelis ipsis, tam constanter et regulariter gyrentur? Secundo, pavimentum undique gramine, quasi tapete pulcherrimo, instratum: primo, ut mollius et nitidius homo ambularet: secundo, ut in eo pernoctans mollius cubaret: tertio, ut viridi colore, velut oculis gratissimo et saluberrimo, visum recrearet et conservaret: quarto, ut fruges arborum in id decedentes mundius servarentur, nec adeo quassarentur: quinto, ut pluvie incidentes diutius hærerent et a terra imbiberentur. Ad honorandum Christum Judæi terram vestibis straverunt, nos herbis, gramine, floribus insternimus. Nobis idem Deus præstitit. Quis eum non laudet summe et amet? Tertio, pro lumine diurno solem dedit, unum omnibus terræ populis sufficientem, pulcherrimum, vastissimum, efficacissimum, celerrimum, medium cæli sic oblique secantem, ut omnibus luceret, omniaque vegetaret, et sua obliquitate varia anni tempora sibi suaviter et utiliter succedentia efficeret. Suo etiam occasu noctem pro quiete et somno capessendo efficit: horas, dies, menses et annos

distinguit, ac numerabiles facit: diem hominum victui et laboribus, noctem feris ad prædandum dedit, ne vel hominibus nocerent, vel ab iis impedirentur. Quarto, pro somno et noctis tristitia temperanda, lucernam lunæ, quasi nocturnum lumen accendit, quod somnum non prohibet: rursum ut viatoribus aliquid luminis impetiret, et afflatu suo terras saturaret, corporaque impleret. Quinto, pro aulæ suspendit in aere, quasi in pariete, nubes lucidas, obscuras, tum ut solis æstum arcerent ac temperarent, tum ut imbres terræ afferrent et infunderent. Sexto, pro lavatorio, pluvias distillat guttatim, quibus corpora refrigeret et aerem, fontes et flumina perennet, potum animantibus det, et terram riget: ita scilicet ut sensim terræ insidentes, sensim imbibantur, quarum loco per hiemem dat nivem sicut lanam, quasi carminatam, ne viventia opprimat. Septimo, scopæ in hoc palatio venti sunt, ut aerem ventilando expurgent, ac salubrem reddant, nubes adducant et abducant, inutilem terræ humorem absumant. Per eosdam navigia impellit, et horum beneficio commercia per universum orbem rerum omnium facit.

Jam servos hujus aulæ videamus. Primo, promi et condi sunt tria elementa, aer, aqua, terra. Aer aves; terra quadrupedia, fruges et vinum; aqua potum et pisces subministrat. Hi promi imprimis non omnia simul eodem tempore; sed successive, nunc hæc, nunc alia, itemque alia et alia suppeditant; tum ut copia nauseam non pareret, tum ut varietas fastidium pelleret, tum ut homines semper aliquid jucundæ operationis haberent. Aer nunc has, nunc alias aves: terra nunc has, nunc illas feras ad victum commodas: fruges alias post alias: aqua singulis fere mensium alios pisces offert. Quodque mirum est, licet innumerabiles capiantur, v. g. pisces et aves, nullus tamen in illis speciebus defectus advertitur, v. g. in turdis, alaudis, fringillis, parvis; neque nimia multiplicatio in illis quæ non capiuntur, v. g. in corvis, picis, passeribus, hirundinibus. Deinde, hi promi interdum condi fiunt, et victum nobis subtrahunt ad tempus, tum ut intelligamus panem a Deo petendum esse, ipsumque adeo timendum; tum ne iis ad voluptatem abutamur; tum ne copia vilescant, et nauseam creent; tum ut in penuria commode vendi possint. Secundo, ignem pro coquo calefactore et nocturna lucerna dedit; qui cum valde necessarius sit, facile proinde parabilis est, ex chalybe et silice, speculo, etc. maxime etiam fecundus seipsum multiplicans, et augens e minimis scintillis. Tertio,

pro custodibus domorum et corporum nostrorum canes dedit, tota fere nocte latrantes, necnon interdum excubantes, nostraque custodientes. Rursum ad venationem variam canes varios dedit; pro muribus et soricibus capiendis, feles; pro muscis araneas. Quarto, pro horologio et excitatoribus gallos gallinaceos, qui post mediam noctem horarum spatia suo cantu proderent, et concisiore sono viciniorem et viciniorem diem annuntiarent; quod mirandum proponit Jobo Deus: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Jobi XXXVIII. versu XXXVI. Quinto, pro operariis et laboratoribus jumenta, quæ nos et onera nostra veherent et portarent, uti equos, asinos, boves, camelos, elephantos. Sexto, pro sartoribus et sutoribus ad nos vestiendos, ferarum variarum pelles, et coria, lanam bombycem, gossipium, linum, canabim. Septimo, pro medicis et pharmacopolis, tot species herbarum, thermes, acidulas, etc. Octavo, ad nostram delectationem omnibus sensibus providit varia objecta, quæ eos recreent. Visui tot genera florum, avicularum variis coloribus distinctarum, adeoque vilissima etiam insecta, uti papilionos, locustas variis et speciosissimis alis et corpusculis vestitos, ita ut Salomonis gloriam superent: auditui, avium cantus, voces pecorum, instrumenta musica: gustui, tot ciborum et potuum genera: olfactui, thus, balsamum, myrrham, flores. Nono, pro instructoribus dedit pene omnes creaturas ad sectandas virtutes, vitia fugienda. Multa ut futura nobis prænuntient, velut tempestates et prælia, etc. Decimo, pro exercitio virtutum, et pro peccatorum vindicta dedit alia ferocia et venenata animalia, alia molesta et vexantia, uti muscas, culices, pulices. Illa, ut intelligamus a quanta dignitate per peccatum exciderimus; hæc, ut sciamus in quantam vilitatem infirmitatemque deciderimus, qui nec contra minutissimas bestiolas defendere sat nos possumus. Videmus ergo ex hoc capite, quantum obligemur ad amandum Deum. Unde S. August. lib. X. confess. cap. XVIII. ait: *Cælum et terra, et omnia, quæ in eis sunt: ecce omnia mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ita ut sint inexcusabiles.* Neque minus hoc beneficium æstimandum, quia pluribus commune est. Pauper enim non minus agit gratias largitori magnæ eleemosynæ, quia et alii parum ab illo acceperunt; neque æger sanatus medico, quia et alii ab eo sanati sunt; neque tu liberali hospiti tuo, quia et alii ab eo excepti fuere lauto convivio.

Sed descendamus jam ad particularia bona. Ac primo, cogita bona, quæ præ aliis acceperis

a Deo. S. Franciscus (ut in ejus vita scribit S. Bonaventura) aviculis ad se advolantibus talem aliquando concionem habuit : « Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, et pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, et sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc et similia loqueretur, aviculæ, modo mirabili gestientes, cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, et in illum attente respicere. » At vero aves Deum, uti non noverunt, ita nec laudare vel amare possunt : et quantula sunt illa quæ avibus donata sunt? Vos vero qui Deum agnoscitis, et propter quos Deus non solum aves, sed omnia creavit, omniaque vobis subdidit, quanto amplius quam aviculæ Deum laudare et amare debetis? Primo, dedit plerisque vestes integras et honestas, multis sericas et pretiosas, denique frigori arcendo sufficientes. Quam multos passim videmus centonibus indutos, sordere vermiculis, foetere, frigere, a congressu, et quandoque etiam a conspectu hominum arceri! Secundo, mensam quoque honestam ac sufficientem, multis opiparam, nullo pene eorum labore paratam. Quam multi vicissim vix habent quod rodant, qui panem mendicant, nec nisi durum ac nigrum accipiunt! Quot alii in sudore vultus sui vix tenuem victum sibi parare possunt! Tertio, corpus integrum, vegetum ac sanum; cum alii multi videantur miseri, cæci, claudi, vel aliis defectibus ac morbis obnoxii. Quarto, domum inhabitandam commodam, multis splendidam atque omnibus deliciis refertam. Quam multi alii coguntur sub dio morari ac pernoctare, vel in miserulis tuguriis vitam tolerare! Quinto, libertatem velut alas, ad evolandum qua volunt, et agendum quidquid placet, cum multi alii vel in vinculis detenti, vel servituti addicti, certo loco affixi sint, vel morbo detenti. Sexto, præterea lumen rationis, qua ad imaginem Dei facti sunt, habent. Quam miseri e contra qui, rationis usu privati, in maniam inciderunt! Quod brutum est tam infelix, uti mente captus homo?

II. Secundam sedem obtinent mala, a quibus erepti et præservati Dei ope sumus. In vita Sancti Francisci Xaverii scribit Truselli. libro I. capite IX. secretarium legati Lusitani in itinere ex equo in profundum nivium acervum loco præcipiti, eui subjectus erat profundus torrens, collapsum, eum nemo ex comitum numero opem lapso ferre auderet ob ruinæ in præceps periculum, solus Xaverius ad eum descendit, eumque periculo exemit. Ob quam causam mire dilexit eum semper secretarius, nec aliter quam vitæ et salutis

sua parentem appellavit. Cogitate, auditores, annon et vos, dum vivitis, varia in pericula subinde incideritis, et a quo erepti sitis. Unus forsitan incidit in periculosum morbum, nec semel quidem, et inde ereptus est. Alius in aquas, et extractus est : alius in prædones, et eluctatus est : alius in periculoso duello servatus est : alius ab incendio et collisione corporis, maleficiis maleficorum, etc. Et a quo ereptus? Nonne Dei ope, qui misit ei angelum, vel medicum, vel alium opitulatorem? Sed quid de lapsu animæ longe graviore? Quoties labuntur heu plerique in peccata gravia, quæ gehennam promeruerunt! Et quoties inde erepti sunt ope confessoriorum, imo Dei potius! Quoties denique præservati a lapsibus aliisque gravibus periculis! Et cujus, nisi Dei auxilio? Nonne igitur obligatissimos nos sentimus ad amandum toto corde Deum, velut vitæ et salutis nostræ toties auctorem et parentem? David certe postquam senex ruminavit e quantis malis, periculis, et hostibus Dei ope liberatus esset, composuit psalmum decimum septimum, cujus titulus est : *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum* (scilicet Philisthinarum, Jebusæorum, Ammonitarum, Absalonis et aliorum) *et de manu Saul; et sic incipit : Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* Quid aliud nos faciamus, qui e tot periculis Dei ope liberati sumus, nisi ut cum Davide exclamemus toto pectoris affectu : *Diligam te, Domine, fortitudo mea?* Fieri igitur potest, ut quis, hæc omnia cogitans, in Dei amorem non inardescat, redamette eum, a quo sic amatus est? Fit certe et nimis communiter. Hinc enim Alphonsus Aragonum sapientissimus ac piissimus rex, cum quidam viri docti laudarent dictum Hecatonis et Senecæ : « Si vis amari, ama; » hoc dictum in solo Deo fallere aiebat : « Quis enim, inquit, aut flagrantius diligit, quam qui homines fecit, atque hominum causa omnia fecit? Cumque id ita esse nemo vivus ambigat, quis tamen est, qui mutua charitate Deum complectatur? Imo vero quid mirabilius aut potius detestabilius est, cum aut hunc, aut illum hominem, amantibus nobis, interdum in officio non respondeatur; Deum vero amantibus certissima sit illius charitas, nec charitas solum, sed amoris merces perpetua, lux et sempiterna tranquillitas, nihilominus obdurati persistimus, nec amantem redamamus? Quod ego arbitror nobis evenire ob nullam, aut certo exiguam in Deum fidem : Deum enim bonis hisce præsentibus atque voluptatibus delini-

mur et obæcamur; cœlestia, quæ non videntur neque tanguntur, non modo non curamus, sed nec omnino futura confidimus : ut si quis admodum sitiens audiat aquam limpida et puram procul esse; sed vicinam et propinquam potius bibat, licet turbidam et lutulentam. »

At vero quæso te, si pauper et esuriens in domum opulenti admitteris, qui te hodie per famulos suos pasceret, omnemque humanitatem exhiberet, licet eum toto anno non videres, nonne in amorem ejus toto corde rapereris, ejusque conspectum desiderares, ut ei gratias ageres? Quot enim serviunt regibus, qui regem nunquam vident? Nihilominus vitam pro eo ponunt, aut ponere parati sunt quia, ejus stipendiis liberaliter sustentantur. Ergo curramus in odorem Dei, etc.

CONCIO III.

CHRISTUS SIMILLIMUS PATRI SUO DAVIDI.

I. In vultu et natalibus. — II. In virtutibus et conversatione. — III. In persecutionibus. — IV. In præliis et victoriis. — V. In regni administratione.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Matth. XXII.

Sæpius audivimus in sacro evangelio Christum appellari *filium David*. Quæ vero causa est, quod Davidis solius, non item Abrahamæ, Salomonis, aut alterius de suis progenitoribus filius vocetur? Ita enim non a Pharisæis solum in hoc evangelio, sed ab aliis etiam Judæis, et ab ipsis pueris clamantibus : *Hosanna filio David*, Matth. XXI. et a gentili Chananæa, orante : *Miserere mei, Domine fili David*, Matthæi XV. quin et ab ipsis cæcis appellabatur : *Fili David, miserere mei*, Luc. XVIII. Scio quidem a Matthæo, cap. I. appellatum etiam *filium Abraham*, quia et ipsi æque ac Davidi specialis de Christo promissio facta est : non tamen vulgo sic appellabatur, sed præcise *filius David*. Quæ hujus rei causa? Placeat ea, quam dant Sanctus Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius; quia, scilicet, promissio Davidi de Christo ex hujus posteris nascituro facta, erat recentior, specialior et honorificentior, velut filii regis; nihilominus tamen existimo potiore aut non inferiorem causam esse, quia Christo David fuit quam simillimus, adeoque vir secundum cor ejus. Audimus sæpe filium, qui patri quam simillimus est, solum inter fratres appellari *patris filium*, eo quod exactius

quam cæteri vultu simul et moribus patrem representet. Videre id in Christo erat, qui in vita et conversatione sua magis Davidem quam alios progenitores suos, exprimebat, quasi genuinus et simillimus patri filius. Quod cum ad instructionem nostram serviat, ut et ipsi adnitamur Christo, parenti nostro, conformare vitam, nunc melius expendemus.

I. In vultu et natalibus. Primo, David erat adolescens rufus, pulcher aspectu et decora facie. Christus similiter : *Speciosus forma præ filiis hominum* : deinde : *Ignem quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas relucebat in facie ejus*, inquit Hieronymus in Matth. XXI. et IX. Unde solo sui aspectu trahere ad se homines, et consolari poterat.

Secundo, David ex tribu Juda et civitate Bethlehem oriundus, adolevit inter pecora velut puer pastoritius, eratque natus minimus inter fratres suos : quibus tamen omnibus prælatus, in regem a Samuele est unctus. Christus etiam e tribu Juda et in Bethlehem natus, in bovem et asinum a pastoribus visitatus, adolevit in obscura domuncula, arte fabrilis se exercens : erat deinde inter discipulos suos velut minister et novissimus. Atque ita ab humili Davidis sede ad regiam dignitatem in cælum evectus, omnium Dominus et rex factus est, uti indicavit angelus : *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus*, Lucæ I. sedem David prius humilem, postea sublimem.

Nos, si pari modo veri Davidis filii et Christi fratres esse volumus, ab humilitate incipiamus. Docuerunt hoc mira inventione Carinthii, qui non inaugurabant duces suos, nisi is prius agresti habitu, pastorem baculum tenens, a dextra macilento bove nigro, a sinistra equo deformi stipatus, pastorem magis quam principem agens, a primario quodam rustico lapidi insidente, peteret principatum, et ab eodem primario objurgatus, quisnam esset cur tam superbe incederet, vellet ne esse æquus judex, etc. ictum unum, sed blandum ad malam acciperet, frigidamque rusticano illatam pileo biberet, ut refert Aneas Sylvius, in descript. Europæ, cap. XX. Sic nimirum Deus neminem in cælo creat principem, qui non prius hic bene depressus fuerit, et noverit seipsum hominem rusticanum, pauperem, nudum, etc. Certe ipsemet rex gloriæ Christus non prius intravit in gloriam suam, quam, infami crucis cathedra conscensa, inter duos latrones velut inter bovem macilentum et scabiosum equum, acetum e spongia delibaret. Quid mirum si hoc servi cogantur sustinere quod sustinuit Dominus?

II. In virtutibus et conversatione. Inter com-

plures ei simillimus fuit. Primo in bonitate et misericordia. David, cum esset in exilio, ad speluncam Odollam convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti et oppressi aere alieno et amaro animo, et factus est eorum princeps, I. Regum II. Ita ad Christum in hoc exilio degentem venerunt omnes afflicti, infirmi, et qui peccatis obnoxii cupiebant absolvi: Christus velut eorum princeps, omnes in suam gratiam recepit, omnes miseras et mœrores eorum abscessit, commune omnium asylum, unde ipse exclamavit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Tales etiam simus fratribus nostris, ut simus filii David et fratres Christi.

Secundo, in mansuetudine. David calumniatorem suum Semei, lapides cum probris in ipsum jaculantem non modo nulla appetiit vindicta, verum etiam defendit a milite suo, qui caput ei amputare volebat, II. Regum XVI. Saulem item, quod ab eo ad necem quærebatur, deprehensum, cum occidere posset, noluit, sed maluit eum fugere; imo defendit bis a furore militum suorum, ne eum interficerent, I. Regum XXIV. et XXVI. Denique, hostium suorum, Saulis, Abneris, Absalonis aliorumque mortem acerrime deploravit. Christus duos discipulos Boanerges, qui perdere optabant Samaritas inciviles et inhumanos, cohibuit ac confregit: *Nescitis cujus spiritus estis, Lucæ IX. idem: Cum clamore valido et lacrymis interitum inimicorum suorum deploravit, cum ante passionem suam super asello ingrederetur Jerosolymam: ad hæc in ipsa cruce pro inimicis et crucifixoribus suis oravit; cumque cœlum et elementa sese jam armassent ad vindictam de illis sumendam, et terra os suum aperiret ad eos deglutiendos, ipsa ea repressit sua oratione, quomodo de Davide dicitur: *Confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos ut consurgerent in Saul, I. Regum XXIV. Et quemadmodum Saul ex mansuetudine Davidis sibi exhibita cognovit ipsum post se certissime regnaturum; ita centurio ex mansuetudine (ut videtur) Christi agnovit ipsum esse Dei Filium. Nos ergo, si filii Davidis et fratres Christi esse volumus, mansuetudine excellamus. Ipse enim Christus dixit: *Diligite inimicos vestros, etc. ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.***

III. In persecutionibus. David habuit hostem continuum, Saulem, dominum suum, ex mera invidia; quod ei præferretur virtutibus, prævaleret existimatione, cresceret gloria, et rex Israel aliquando inaugurandus videretur. Deinde, habuit hostem, proprium filium Absalonem; quem fugiens, ascendit per montem Oliveti mœrore

plenus et luctu, quique tandem ex arbore pendulus interiit, in pœnam sui sceleris. Christum hostem habuit continuum synagogam, seu principem ejus, pontifices, Scribas et Phariseos, qui invidabant ei virtutes et miracula, quæ ipsi facere nequibant; quod omnium ore celebraretur, et omnes pene eum sequerentur; quodque timerent, ne rex ipsorum fieret. Et quemadmodum David Saulem, ita Christus etiam Judæorum principes fugere coactus fuit. Habuit adversarium sibi Judam filium quasi suum, qui eum instat Absalonis Christo necem, dum ipse ascenderet in montem Oliveti tristis usque ad mortem, machinatus est, ac denique in arbore pendulus effudit viscera sua.

Nos, si filii etiam Davidis et fratres Christi esse volumus, persecutiones quaslibet undequaque veniant, æquo animo toleremus, et de hoc gratulemur nobis.

IV. In præliis et victoriis. Pugnavit contra ursum et leonem David, quibus raptas oves a faucibus eripuit, vitamque simul extorsit suffocando eos. Obtulit se unus et solus ad difficillimum illud certamen cum Goliatho, in quo, non nisi baculo et quinque lapidibus armatus procedens, victor evasit, et universum populum suum liberavit, sibi que filiam regis sponsam promeruit. Pugnavit etiam Christus contra dæmones, eorum velut ursorum dentibus extraxit passim homines obsessos, percutiens invasores verbo et imperio, nec sinens eos loqui; sed maxime contra principem dæmoniorum potentissimum, cum solus ipse sua passione et morte, crucis baculo et quinque acceptis vulneribus, Goliathum illum vicit hostem humani generis, liberavitque illud a potestate illius; quod nemo alius præstare poterat. Ibi posuit animam suam pro nobis, sicut David pro suo populo: hic quidem animi præparatione, Christus vitæ amissione: David Goliatho proprio ejus gladio caput amputavit; Christus dæmonem ligno stravit, quo ille in paradiso hominem prostraverat.

Nos, si filii Davidis veri et Christi fratres esse volumus, pugnare etiam debemus: *Non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates tenebrarum harum: adversus spiritualia nequitiae, et peccata: alioquin non coronabitur, nisi qui certaverit.* Cum primis vero adlaborandum nobis est, ut Goliathum, id est, primum nostrum hostem, seu vitium principale, expugnemus; hoc enim devicto, reliqua vicisse reputabitur, certe superamus non magna difficultate.

V. In regni administratione, quæ consistit in clementia et justitia. David in propriis injuriis ignos-

cendis clementissimus fuit; in alienis, et Dei præsertim, injuriis ulciscendis, severissimus. Unde II. Reg. XXV. vocatur: *Tenerimus ligni vermiculus.* Eo nihil mollius est cum tangitur, nihil durius cum tangit; siquidem durissima quæque ligna suo rostello perforat. David primo quidem, injurias patienter toleravit, sed tamen ad extremum contra perveraces severissime ultus est; uti patet in Ammonitis, quos tribulis et carpentis serratis contrivit, II. Reg. XII. Denique, morte instante, æquum se præbuit judicem, mandans Salomoni, ut præmio afficeret fideles ejus servos, filios Berecellai: supplicio contrario puniret reos, Joab et Semei, III. Reg. Sic etiam Christus in propriis injuriis patientissimus, in alienis et Patris sui imprimis (ut cum nundinatores ejecit flagello e templo) severissimus. Patientissime tulit probra impiorum in sua passione, sed postea in excidio Jerosolymæ terribilis ultor fuit: et talem se omnibus ostendet in die judicii, cujus typum præmisit in cruce, cum pœnitenti latroni paradisum promisit, impœnitentem et blasphemantem perire passus est, terræque motu crucem ejus a sua avulsit. Quid faciet in die judicii, cum inimicos suos ponet in scabellum pedum suorum (quod ex psalmi prophetia in hodierno evangelio Judæis insinuavit), uti Sapores Persarum rex Valerianum imperatorem, Tamerlanes rex Tartarorum Bajazetem imperatorem Turcarum? Nos, ut Christi fratres simus, proprias injurias patienter toleremus; alienas vero, et Dei præsertim, acriter vindicemus.

CONCIO IV.

AD EXEMPLAR CHRISTI QUALES SE PARENTIBUS EXHIBERE FILII DEBEANT.

I. Imitari bonos parentes debent. — II. — Parentes honorare debent. — III. Defendere eos tenentur. — IV. Obedire eis debent. — V. Servire eis debent.

THEMA.

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Matth. XXII.

Duo quidem somnia satis odiosa habuit ac recensuit patri innocentissimus puer Joseph; sed ob unum tantum reprehensus est a patre, Genesis XXXVII. Somniarat primo, fraternos undecim manipulos caput submittere suo manipulo, idque recenset fratribus; sed nihil ad hoc pater asperum locutus est: somniat secundo, sese adorari visum a sole, luna et stellis rursus undecim.

Audit hoc pater, et quod erat mens præsaugit, somniare filium aliquod imperium in patrem et matrem. Itaque de hoc filium redarguit: *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram?* Quasi diceret: *Itane tu filius meus cogitas te futurum aliquando meum et matris tuæ dominum? Tu enim, si meus es filius, quomodo eris dominus meus? Simili argumento confutavit Dominus in hodierno evangelio Scribas et Phariseos. Si Christum vocat David Dominum suum, quomodo filius ejus? q. d. duo hæc inter se non bene conveniunt, ut idem sit patris filius, et simul ejus dominus. Filius colere parentem, defendere, sequi, juvare debet; dominus ipse coli, defendi, præmitti, juvari et sublevari vult a subditis. Male igitur sonat, quando filius vult esse parentis dominus. Quomodo enim, si dominus filius ejus est? Id quod nunc accuratius paulo expendemus.*

I. Qui non imitatur parentem suum: *Quomodo filius ejus est? Videmus enim ut plurimum filios sectari mores parentum.* Unde D. Chrysostomus, homilia XLV. in Matthæum: « *Ut regula est humanæ naturæ, inquit, ut omnis homo nascatur duos oculos habens, et quinos digitos; alioquin tamen ut manifestentur opera Dei, nascitur homo sex digitos habens: sic et homo extra regulam naturæ raro procedit, ut dissimilis nascatur parentibus filius.* » Quod si aliquando contingat ut parentum mores reprobi sint, laborandum filiis est, ne illorum vitia imbibant; referantque naturam piscium, qui licet in salso mari degant, nihil tamen inde amaritudinis contrahunt. Qua de re Sanctus Bernardus laudat S. Malachiam, in ejus vita scribens: *De natali barbarie traxit nihil, non magis quam de sale matris pisces maris, malos scilicet parentum mores minime sectatus.* Cæterum in virtutibus nisi imitetur parentem filius, quo jure filius erit? Quare Chrysostomus, in sermone de Zachæo, tom. II. ait: « *Si filii Abrahæ, inquit Christus, essetis, facta patris vestri faceretis. Non potest esse filius, quem diversi separant mores, si Abrahæ est filius, imple paternos affectus. Quæ fecit, comple; quæ docuit, exerce; quæ docuit, imitare.* Unde tibi filii nomen imponis, quem nec actus nec natura commendat? Quem nec fides nec genus probat? Quem nec mores nec prosapia indicat? Quem paterna monita factis dissidentibus separant? » Apes ex boum capitibus nasci dicuntur; hinc aliquid in visceribus gerunt, quod caput bovis refert, uti scribit Aldrovandus. Ita omnino deest ut veri parentum filii eorumdem robur, industriam, virtutem, studium pro viribus imitentur, et visceribus suis insculpant. Quod adeo natura